

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXX. Continens Concionem Christi In Via, Qvis Idoneus Sit Ipsius  
Discipulus. Lucae 14. v. 25.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

& per verbum Evangelii nos ad cœnam suam vocavit, illico omnia ad statum feliciorum effluerunt: Nam non tantum vocare jubet DEUS suos convivas: sed etiam *introducere*, hoc est, per spiritum S. est efficax, trahit ad verbum audientes, eos convertit & illuminat, ut novi homines fiant. Imò gentes *compellit intrare*, ut sic suam erga ipsos charitatem declaret. Quia enim libenter vellet, ut ipsius essent convivæ, & cum ipso in æternum deliciarentur; Ideò non tantum beneficiis eos invitavit, sed etiam solem suum oriri super bonos & malos. Matth. 5. v. 45. Sed etiam, quando venire renuunt, in manus sumit malleum legis, quo conterit corda duriora, sicque rem eo deducit, ut ipsi cum Davide dicamus: bonum est mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discerem justificationes tuas, Psal. 119. v. 71. Sola enim vexatio dat intellectum auditui. Jesa. 28. v. 19. Quando igitur tales compulsoriales adstant, placidè eas excipiamus, & agnoscamus, hoc modo DEUM æternam nostram salutem procurare. Rectè igitur monuit Paulus Rom. 15. v. 9. debere gentes honorare Deum super misericordia sua. Vide locum. Utique DEUM honorare debemus non tantum verbis, sed etiam facto atque vita, ne nobis gentibus idem accidat, quod Judæis, quos DEUS rejecit, & nos gentes recepit. Si enim DEUS naturalibus ramis non pepercit, vide, ne forte nec tibi parcat. Rom. 11. v. 21. Exemplum hujus rei habemus in florentissimis Ecclesiis, quas Apostoli ipsi Ephesi, Corinthi, Philippis & alibi plantarunt. Diu illæ Ecclesiæ Arrianismo & inutilibus disputationibus Inserunt, donec Mahometismus dominium obtinuit. Romæ quoque non amplius ea habetur fides, quam Paulus ad Romanos commendat. Nos igitur caveamus.

5. Quin & conclusio parabola memori men-

te est retinenda; qua paterfamilias inquit: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* In aliis conviviis interdum jactura non magni æstimatur, si negligantur: siquidem frugi paterfamilias domi pane & caseo contentus esse potest. Sed quod hanc cœlestem cœnam attinet, qui illam negligit, ille esuriat & egebit in omnem æternitatem. 1. in regno gratiæ multi improvisi & subitanei casus accidunt, ut illi, qui multos annos auditum verbi & usum sacrae cœnæ in templo neglexerunt, in extremis nec consolationem ex verbo, nec sacramenti usum percipere possint. Alii repentina apoplexia ex humanis eripiuntur, alii in agro vel aquis pereunt, ut sacris priventur. Et hoc est illud, *non gustabunt cœnam magnam.* Veteres quoque dixerunt: contentiores verbi & sacramentorum, privantur gratia verbi & Sacramentorum.

Quoties quoque evenire solet, ut, qui non necessaria jurgia cum verbi ministris alunt, in extremis nullum ministrum habere possint, ut ejus opera utantur. Omnes præterdunt, DEUS est propitijs, non adeò severe hæc puniet. Omnino est propitijs: sed tamen te ad cœnam venire jussit, & quidem hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, Ps. 95. v. 8. Et qui spondit tibi peccatorum remissionem, idem tamen diem craftinum tibi non spondit. 2. In regno gloria major talium erit miseria; quod videmus in divite epulone, cui jam per sedecim ferè secula non datum est, ut gustaret guttam aquæ, Luca 16. v. 24. Quid igitur tales gustabunt? flammam ignis ardentis cum pice & sulphure: gustabunt æternam mortem, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur, & erunt abominatio omni carni, Jesa.

66. vers. ult.

## CAPUT CXX.

### CONTINENS CONCIONEM CHRISTI IN VIA, QVIS IDONEUS SIT IPSIUS DISCIPULUS.

LUCÆ 14. v. 25.

#### RATIO ORDINIS.

**H**ic mihi Christus ex patria discessisse, & in Judæam transiisse, videtur, ut & ibi Ecclesias visitet: Quia enim multæ turbæ iverunt cum ipso, utique ipse quoque ivit. Solitæ autem sunt turbæ ipsum majori numero sequi, si quando alicubi ad tempus substiterit, & postea novam migrationem ipsum instituere animadverterunt. De ordine igitur hic disputare velle, supervacaneum est. Nos simpliciter Lucæ ordinem sequimur. Illud vero obiter monere lubet. Quia in superioribus diximus, Christum in hac ultima sua profectio-

& Ecclesiarum visitatione multa conciones, quas superioribus annis habuerat, repetiisse. Ideò etiam interdum attendere decet, quam sint illæ doctrinæ, quas repetiit. In præcedenti capite repetiit doctrinam de sabbatho; concionatus est de humilitate adversus superbiam: In parabola cœnæ rursus docuit abjectionem Judæorum, & vocationem gentium. In hoc capite rursus proponit, ut omnes illi, qui se sectari volunt, meditata habeant omnia, quæ vel per crucem, vel per persecutionem ipsis accidere possint.

DI-

DISCIPULUS CHRISTI QUIBUS DOTI-  
BUS PRÆDITUS ESSE DEBEAT.

LUC. 14.

25. Συμπεροβούντο δὲ αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ , καὶ στραφεὶς ἔειπε πρὸς αὐτάς·
26. Εἰ τις ἔρχεται πρὸς με , καὶ ἢ μισεῖ τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα , καὶ τὴν γυναῖκα , καὶ τὰ τέκνα , καὶ τὰς ἀδελφάς , καὶ τὰς ἀδελφάς , ἐτι δὲ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν , ἢ δύναται με μαθητὴς εἶναι .
27. Καὶ ὅστις ἢ βαστάξῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ , καὶ ἔρχεται ὀπίσω μου , ἢ δύναται με εἶναι μαθητὴς .
28. Τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν θέλων πύργον οἰκοδομῆσαι , ἔχει πρῶτον καθίσας ψηφίσει τὴν δαπάνην , εἰ ἔχει τὰ πρὸς ἀπαρτισμόν ;
29. Ἴνα μήποτε θέντῃ αὐτὸ θεμέλιον , καὶ μὴ ἰσχύοντι ἐκτελέσαι , πάντες οἱ θεωροῦντες ἀρξῶνται ἐμπαίζειν αὐτῷ ;
30. Λέγοντες , ὅτι ἔτος ὁ ἀνδρῶν ἤρξατο οἰκοδομῆσαι , καὶ ἢ ἰσχύσεν ἐκτελέσαι .
31. Ἡ τίς βασιλεὺς πορευόμενος συμπλαεῖν ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον , ἔχει καθίσας πρῶτον βουλευτάς , εἰ δυνατὸς ἐστὶν ἐν δέκα χιλιάσιν ἀπαντῆσαι τῷ μετὰ εἰκοσι χιλιάδων ἐρχομένῳ ἐπ' αὐτόν ;
32. Εἰ δὲ μήγε , ἐτι αὐτῷ ἀπόρρω ὄντος , πρεσβείαν ἀποστέλλας ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην .
33. Οὕτως ἔν πάσι ἐξ ὑμῶν , ὅς ἐκ ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ υπέρχρισιν , ἢ δύναται με εἶναι μαθητὴς .
34. Καλὸν τὸ ἄλας , εἶναι δὲ τὸ ἄλας μωρανθῆναι , ἐν τινὶ ἀτυθήσεται ;
35. Οὐτὲ εἰς γῆν ἔτι εἰς κοπρίαν εὐθετόν ἐστιν , ἔξω βάλλασιν αὐτὸ . ὃ ἔχων ἄτα ἀκουσεν , ἀκέστω .
25. Ibant autem turbae multae cum eo , & conversus dixit ad illos :
26. Si quis venit ad me , nec odit patrem suum , ac matrem , & uxorem & filios , & fratres & sorores , praeterea autem & animam suam , non potest meus esse discipulus .
27. Et quisquis non bajulat crucem suam , & venit post me , non potest meus esse discipulus .
28. Quis enim est ex vobis , qui velit turrim aedificare , quin prius sedens computet sumtus , an habeat , quibus opus est ad perficiendum ?
29. Ne postquam posuerit fundamentum , nec poterit perficere , omnes qui viderint , incipiant illudere ei ,
30. Dicentes , hic homo cepit aedificare , nec potuit consummare .
31. Aut quisquis rex proficiscens , ut committat praelium adversus alterum regem , nonne sedens prius cogitat , an possit cum decem millibus occurrere ei , qui cum viginti millibus venit contra se ?
32. Alioquin adhuc illo longè agente , legatione missa petit ea , quae pacis sunt .
33. Sic ergo omnis ex vobis , qui non renunciat omnibus , quae possidet , non potest meus esse discipulus .
34. Bonus est sal , si verò sal insatuatus fuerit , per quod condietur ?
35. Neque in terram , neque in sterquilinum utilis est , foras projiciunt illum . Qui habet aures ad audiendum , audiat .

## Periocha hujus concionis.

AD hanc concionem habendam Christo salvatori nostro occasionem praebuit multitudo turbae , ipsum ex Peræa descendente comitantis . Hi enim omnes videri volebant Christi sectatores & discipuli . Audierant enim ipsum prope diem Hierosolymam abiturum , ut regnum suum occuparet , cumque omnes hoc regno frui vellent , ipsum sequuntur . Christus autem conversus dixit ad illos , si quis suus discipulus esse velit , non esse rem levem , nec sufficere , si pedibus corporis se sequatur , sed esse rem adeò arduam & difficilem , ut cogatur Christo postponere quodvis charum , quantumvis magnum , ut cogatur proprios carnales affectus deponere , & crucem Christi portandam suscipere , cogatur renunciare omnibus , quae possidet , & Evangelico sale conditus ab omni corruptione carnis alienus esse . Et quia Christi discipulum fieri res adeò est ardua , in medio concionis interserit commonefactionem , duabus parabolis comprehensam , qua singulos monet , ut vires animi sui maturè excutiant , utrum tanto oneri ferendo sint pares : alioquin fatiis futurum , ut abstineant ab ipsius discipulatu , ne majus damnum & opprobrium reportent . Dispu-

tant autem hic quidam de vocula *discipuli* , quae ter in hoc textu recurrit , an ea accipienda sit in genere de omnibus Christianis , qui Christi discipuli dici solent , Actor. 1. v. 26. An verò in specie , in eo sensu , quo Apostoli & Septuaginta discipuli dicuntur . Hinc incipiunt distinguere in his , quae Christus à discipulis suis requirit , & alia quidem in genere attribuit omnibus Christianis , alia verò Apostolis , & iis , qui ad ipsorum imitationem perfectioni studere velint . Sed re vera quae de sua perfectione proferunt , nugae sunt , & fundamentum in scripturis non habent . Paulus ipse , quem cum Petro Apostolorum principem dicere possumus , de se fatetur , se non esse perfectum , Phil. 3. v. 12. Sed omnia in se esse particularia , 1. Cor. 13. v. 9. Quid ergo nobis de perfectione pollicebimur ? Habuerunt Apostoli & Septuaginta certum suum officium à reliquorum Christianorum officio distinctum , & ad illud Christus peculiaribus instruxit praecipis , quae ipsi observarunt . Hic agit Christus cum turba promiscua , quae ipsum tanquam discipuli magistrum & auditores doctorem sequebantur , his praescribit , quid ab ipsis & omnibus , qui Christiani dici & haberi velint , requiratur .

Q9999

I. Chri-

1. Christus ergò à discipulis suis in hac concione quatuor requirit conditiones, quas ordine videbimus.

1. *Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & sorores, præterea autem & animam suam, non potest esse meus discipulus.* Hanc conditionem etiam supra proposuit, Matth. 10. vers. 37. quam in LXXII. cap. Harmoniæ explicavimus, unde etiam uberius expositio desumi potest. Tantum hoc interest, quod Christus illic, *qui amat patrem plus quam me*, hic autem dicit: *qui non odit patrem*. Sed sensus eodem recidit: Neque enim putabimus Christum *soqyas* naturales in hominibus extinguere velle, quas & ipse in prima creatione hominibus implantavit, & in proprio corde ad mortem usque lucere passus est. Nam Johan. 19. v. 27. jamjam moriturus ex filiali *soqyas* matrem suam virginem commendavit dilecto discipulo Johanni: Si ergò conjungantur ambo dicta, hic verus sensus inde resultat: Christum Jesum à suis Christianis sic diligere debere, ut illa dilectio non tantum dilectionem parentum, conjugis, liberorum, & quorumvis Christianorum longè superet: sed etiam si parentes, conjux vel liberi, vel etiam quivis alii nos in aliquibus à Christi doctrina vel sequela avocare vellent, ut eos non tantum non audiamus, sed ab eis nos separemus, & propterea odio ipsos prosequamur. Imò si etiam propria *anima*, suis motibus, affectibus & appetitionibus nos à Christo præceptoris monitis & salutari doctrina avertere vellet, eam, utcunque difficile videtur, odisse debemus: aut ut loquitur Paulus, carnem nostram (ceu acerrimum nostrum hostem) mortificare & crucifigere debemus cum vitiis & concupiscentiis, Galat. 5. v. 24. Ex his etiam decidi potest illa quæstio: Utrum magistratui, qui patris loco haberi vult, parendum sit, defectioem à doctrina Evangelii mandanti. Certè talem *odisse*, & ab eo quam longissimè recedere debemus. Quisque, cui sua salus cordi caræque est, de mediis legitimis cogitabit, quibus ab istiusmodi magistratu liberetur. Inprimis autem DEUS piis precibus assidue sollicitandus est, ut pectora nostra sancti sui spiritus gratia in amore Christi magis magisque crescere faciat, & inordinatos nostros affectus frenet, ne quid amore Christi indignum admittamus. Si quis enim non amat Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, sit Anathema, Maranatha, 1. Cor. 16. v. 22. Et hæc est prima conditio Christianissimi, quæ, proh dolor! hodie valde rara est.

2. Secunda conditio. *Et quisquis non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest esse meus discipulus.* Hanc conditionem quoque Christus in superioribus suis proposuit, utpote Matth. 10. vers. 38. Marc. 8. v. 34. & Luc. 9. vers. 23. quæ etiam cap. LXXII. & LXXXVI. plenius exposita est. Quid igitur facere debet Christianus? *Bajulare crucem suam.* Crucis nomine intelligit omnem fortunam, qualemcunque DEUS immittit; inprimis verò duriores illas adversitates, quas nonnunquam DEUS permittit ab impiis Evangelii hostibus Christianis obvenire. Vocat autem *suam* crucem, non quam quisque ipse sibi fabricat vel attrahit, sed quam Christus crucis Dominus cuique peculiariter

rem immittit. Hanc quisque *Bajulare* debet. *Bajulare*, interdum Suida teste, significat rem aliquam manu contrectando ejus pondus explorare. Talis exploratio in cruce ferenda non facile admittitur: sed debet bonus Christianus utramque scapulam cruci supponere, & patienter, si non alacriter, portare, quicquid Dominus imposuerit. Habet autem hanc promissionem, quod Dominus sit fidelis, nec patiat quoniam tentari supra id, quod ferre potest, sed facit cum tentatione proventum, ut sustinere possimus, 1. Cor. 10. v. 13. Itaque vestigiis Christi, qui nos in bajulanda cruce præcessit, insistamus & *veniamus post eum*, hoc est, sicut ipse nobis exhibuit exemplum obedientiæ, patientiæ, innocentæ, constantiæ: Sic nos ipsum sequamur. Quid enim prodesset crucem bajulare, si non rectè bajules?

3. Tertiam conditionem boni Christiani Christus hoc in loco sanè ponit. *Sic omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Hoc arripuit Pontificii, & illos solos perfectos Christianos esse dicunt, qui omnibus suis facultatibus valedicunt, & in eremum vel monasterium aliquod se conferunt, ibidemque diu noctuque sub certis regulis ab Abbatibus conceptis ferviendo, vitam transigunt. Et sanè in primitiva Ecclesia persecutiones adeò fuerunt violentæ, ut veri Christiani necessitate coacti possessiones suas reliquerint & ad salvandam vitam suam in deserta se absconderint. Et de hujusmodi casibus Christus hic loquitur. Fere enim inter homines fieri solet, ut quando divitiæ affluunt, cor apponant. Psal. 62. v. 11. & qui illud faciunt, incidunt simul in tentationes & laqueos Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, 1. Tim. 6. v. 9. Vult igitur Christus, ut bonus Christianus, si maximè omnem mundi substantiam possideret, sic tamen affectu illis renunciaret, ut sit, quasi non haberet: & potius quam Christi fidem & confessionem deserat, istis omnibus valedicat, & cum superioribus odio prosequatur. Hoc modo Paulus hunc Christi locum explicat, 1. Cor. 7. v. 29. Hoc dico, fratres, tempus breve est, reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi. Beda quoque distinguit, inter relinquere omnia, & renunciare omnibus. Relinquere omnia, inquit, paucorum est: at renunciare omnibus, cunctorum fidelium, ut sic teneant, quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo. Est itaque tertia boni Christiani conditio, ut sic in mundo vivat, ac si nihil ejusdem possideret.

4. Quartam boni Christiani conditionem Christus his verbis comprehendit; *Bonus est sal, si verò sal insaturatus fuerit, per quod condietur?* Quod supra Matth. 5. v. 13. Christus Apostolis suis de sale accommodavit, ob verbum per ipsos prædicandum, & cap. Harm. LI. peric. 2. copiose explicatum est; idem nunc omnibus auditoribus & Christianis applicat, propter idem verbum ab ipsis auditum. Verbum enim Dei falsis propria habet: qui 1. est juxta

juxta medicorum testimonium, calida natura: Sic etiam verbum DEI hominum mentes accendit, & amore DEI quasi fervere facit. 2. Sale carnes à corruptione præservantur: idem præstat verbum DEI in corrupta nostra natura, quæ nullo alio modo, quam per verbum ab æterna corruptione liberatur. 3. Sale cibi condiuntur, ut ex sapore suaviore nobis commendentur, & à ventriculo facilius concoquantur: Sic verbum DEI nos gratos & acceptos DEO reddit, qui alioquin coram ipso insulsi & insipidi futuri essemus. 4. In V. Testamento salis magnus usus fuit in sacrificiis, unde etiam Christus Marc. 9. v. 49. dixit: Omnis victima sale salietur; ita omnis cultus DEI, omnia etiam dicta & facta nostra verbo DEI condita esse debent, si DEO grata esse velint.

Hæc propria quilibet etiam Christianus in se habere debet; ut 1. Vero & constanti amore DEI & Christi ardeat, neque quicquam sibi in hoc mundo antiquius vel charius esse patiat, quam ut in omnibus ipsius gloria promoveatur. 2. Corruptas suæ carnis cupiditates continuæ verbi meditatione reprimat, & si quando vitiosus ejus pruritus divexat, cum insperso sale Evangelico in dolorem potius, quam voluptatem convertat. 3. Operam etiam det, ut non tantum ipse corruptioni carnis valedicat, sed etiam tam sermonibus, quam vitæ exemplo alios condit, quo & ipsi DEO grati & lapidi reddantur. Sit sermo vester, dicit Paulus Col. 4. v. 6. semper in gratia sale conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. 4. Cum primis autem det operam, ut sale verbi divini saluberrimo conditus, se sistat DEO hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium, Rom. 12. v. 1. Hæc propria si in Christiano concurrant, tum bonus est sal. Porro si infatuatus erit, si Christianus verbum vitæ, & sinceram Evangelii doctrinam vel corruperit vel abjecerit, per quod condietur? Cum enim solum DEI verbum sit unicum illud medium & instrumentum, per quod DEUS mundum à corruptione revocat, omnino, qui illud insulsum apud se reddat, ipse quoque insipidus manebit. Quomodo vero sal infatuatur, prædicto loco pluribus explicatum est. Talium verò recidivam admittentium Christianorum, quis futurus est exitus? *neq; in cornu, neq; in sterquilium utilis est, foras projiciunt illum.* Aliæ res si corrumpantur, aliquem tamen habent usum, ad minimum ut in finem projectæ agris stercoreandis inserviant. At infatuatus sal nec ad hoc quidem conducit, siquidem agris sterilitatem inducit. Ideò tantum foras projicitur, & pedibus hominum conculcatur. Sic in novissimo die non erit miserabilior creatura, quam possit esse Christianus apostata, apud quem sal Evangelicus infatuatus, ad nihil proderit, quam ut foras extra regnum DEI, & futurum novum mundum projiciatur in gehennam, in stagnum ardentis ignis, ubi erit fletus & stridor dentium. Hæc sunt quatuor illæ conditiones, quas Christus à bono discipulo & Christiano requirit.

II. In medio autem quatuor harum conditionum interferit Christus commonefactionem, ut quoniam ex his omnes intelligant, quam res ardua sit verè Christianum esse, quia non tepidè sed ardentè hoc religionis negotium tractari de-

Herm. Tom. I.

beat, prius apud animum suum expendant, an tantum virium, ut hisce omnibus sufficere possint; si enim hunc statum Christianitatis semel ingrediuntur, postea autem ejus gravitate absteriti pedem retro vertant, futurum, ut præter gravissimum damnum quod passuri sunt, in summam etiam ignominiam incidant. Commonefactionem autem duabus parabolis vestitam proponit. Una sumpta est ab ædificantibus, altera à re militari. Hæc humana negotia testatur Dominus ab hominibus summa cura & sollicitudine inchoari & perfici; quanto magis necessum sit, ut in suscipienda professione Evangelica consimilem aut etiam majorem sollicitudinem adhibeant.

1. *Ædificaturus turrim, nisi despiat, non temere aggreditur, quod cogitat, sed prius domi sedens computat, quantis sumptibus ædificium tale perficere possit, & omnes suos loculos excutit, quærens an tantam vim pecuniæ domi habeat, quanta ad rem illam conficiendam requiritur. Si deprehenderit, rem suam familiarem tantos sumtus nequaquam ferre posse, tum ab ædificando abstinere, ne si semel fundamento jacto, & aliquo usq; ædificio exstructo postea demum abstineat, & sumtus suos perdat, & omnium risui se exponat.* 2. Sic rex cum alio rege bellum initurus, prius regni sui vires explorat, & considerat, utrum imperium ejus sustinere queat. Et si intellexerit vires suas, ad conflictum esse impares, modis omnibus pacem quærit, & tractat, ne si in conflictu succumbat, gravius damnum ferat, & in opprobrium hominum incurrat. Sic vult dicere Christus turbæ se sequenti, vos multo magis expendere debetis robor animi vestri, an hisce, quæ modo dixi, pares esse possitis, antequam vos meos discipulos esse & velle profiteamini: Nam si suscepta mea professione à cæpto postea resiliueritis, apud DEUM & angelos in graviorem ignominiam incurretis, & in majus salutis vestræ damnum incidetis. Hoc D. Petrus in Epistola sua his verbis enunciat: 2. Epist. 2. v. 20. Si fugientes coinquinationem mundi in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt ejus posteriora deteriora prioribus: Melius enim est illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod ipsis traditum est, sancto præcepto: Nimirum contigit ipsis: canis ad vomitum, & sus ad volutabrum. Hic est verus scopus harum duarum parabolarum.

Admonent tamen hæc parabola etiam de aliis. Primo nimirum de eo, quod Paulus dicit, 1. Cor. 3. v. 9. Vos ædificatio Dei estis.

Quisque igitur Christianus Deo ædificium construere debet, illudque non vulgare, sed vel *turrim*, ut Christus hic loquitur, vel templum, ut loquitur Paulus, 1. Cor. 3. v. 16. ex quo quisque in cælum conscendere possit.

In hoc ædificio construendo quisq; duo potissimum spectet. 1. Ut fundamentum hujus ædificii sit firmum & solidum. Nisi enim templorum & in primis turrium fundamenta sint firmissimè jacta, in tempestate violentiore facile fieri potest, ut ædificium subsidat & corruat, Matth. 7. v. 27. Fundamentum autem hujus spiritualis tur-

Q9999 2

ris

ris unicum & solidissimum est Christus JESUS. Hinc Paulus 1. Cor. 3. v. 11. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est: quod est Christus Jesus. De hoc fundamento dicit Dominus apud Esaiam 28. v. 16. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, qui crediderit in eum, non confundetur. Hoc dictum Apostolus de Christo interpretatur. 1. Petr. 2. v. 16. Hoc fundamentum, qui in corde suo jacit & retinet, is secum habet petram salutis, adversus quam ne inferorum quidem portæ prævalebunt. Matth. 16. v. 18. 2. Quisquis viderit, quid super hoc fundamentum ædificare velit. Si ligna, fœnum, stipulam superstruxerit, hoc opus non durabit, sed detrimentum patietur. Itaque *sedens compute sumptus, an habeat, quibus opus est ad perficiendum*: an possit superstruere aurum, argentum, lapides pretiosos. Viderit, an habeat gemmeam fidem, auream charitatem, argenteam simplicitatem, marmoream spem & fortitudinem, cum reliquo choro virtutum Christianarum. His si instructus sit, tum poterit turrim suam exornare, ut & Deo gratum & coram hominibus splendidum sit ædificium. At verò, quia natura sumus egeni, & omnium rerum indigi, qui ex nobis tanquam ex nobis nihil boni cogitare possumus, 2. Cor. 3. v. 5. unde istas impensas, quibus turris exornari & absolvi possit, sumemus? Unde? nisi à Deo, à quo omne donum perfectum, & omne datum optimum. Jacob. 1. v. 17. Hic spiritum suum bonum dabit omnibus petentibus se. Luc. 11. vers. 13. Ex quo spiritu omnes illæ virtutes promanant, quibus ædificium illud exornari potest, & cum ipso fundamento conveniunt. Spiritus enim S. ut cum Christo unus est: ita etiam ipsius membris Christianis dividit mensuram fidei & donorum, prout cuique necessarium est ad salutem.

Altera parabola admonet nos de militia hominis Christiani. Verè quidem Jobus pronunciat cap. 7. v. 1. de cuiusvis hominis vita, quod sit militia super terram: Sed de Christianis hoc vel maximè verum est. Hi enim statim quamprimum in Baptismo Christo nomen suum professi sunt, abrenunciaverunt diabolo, & omnibus ipsius operibus & pompis. Hinc ergò diabolus hostem habent *ἀσπυδον*, quamdiu Christiani dici & haberi volunt. Quam potens autem hic noster hostis sit, Christus ipse & scriptura id nobis indicant, quando eum vocant fortem armatum, Lucæ 11. v. 21. Deum hujus seculi, 2. Corinth. 4. v. 4. & *κόσμονόμοσ*, Ephes. 6. v. 12. Quam crudelis sit, id infinita exempla cædium, incendiorum, stuprorum, vastationum, excidiorum & finalium desperationum ostendunt. Huic nostro hosti subsidii loco venit mundus, qui in ipsius castris militat, & totus in maligno positus est. Hic pollicitationibus & comminationibus, adeoque pravorum exemplorum & voluptatum illecebris nos rursus à Christo Imperatore nostro abducere conatur, & illud unum agit, ut Diabolo suo principi rursus manus demus. In hoc verò formidabili bello illud vel maximè formidandum est, quod propria nostra caro huic nostro hosti arma contra nos ipsos suppeditat, ex naturali sua vitiositate,

intellectu corrupto, prava voluntate, cupiditatibus & desideriiis vitiosis. Hæc faciunt, ut quidam vel invitati in hoc prælio contra istum hostem retrocedant. Nam vere ipse *cum viginti millibus contra nos venit*, cum nos vix decem millibus ipso occurrere possumus: Siquidem vitiorum nos impugnantium magnus est numerus, qui verò pro nobis militant, illorum pauci sunt. Est ergò Christianorum status per se valdè durus, difficilis & periculosus, qua de causa Christus hic maturè monet, ut quisque consideret, an duram hanc provinciam secum suscipere velit. Christus quidem neminem ad se venirentem rejicit: nemini tamen etiam supplex sit, sed in primo statim ingressu cuius indicat, quid apud se sperare & expectare debeat: in hac quidem vita militiam, in altera verò præmium & coronam. Hanc qui obtinere desiderat, is in hac vita animosè ad mortem usque pugnet. Esto fidelis, dicit Christus Apoc. 2. v. 10. usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Miles autem in pugnam abiturus vestiget armis, sic quisque Christianus armis spiritualibus contra hostes suos se instruere debet. Arma autem militiæ nostræ à D. Paulo diligenter describuntur: Eph. 6. v. 14. Stante succincti lumbos vestros in veritate, & induti loriceam justitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite: & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu. Hæc armatura alibi plenius explicatur, & desumitur ex armentario Imperatoris nostri Christi, absque quo nihil possumus; sed si ipse nos confortet, in eo possumus omnia, Phil. 4. v. 13. Tantum hoc observemus in hac militia, in quo à proposita parabola discedimus: ut, quandoquidem hic hostis nunquam nobis honestas pacis conditiones proponit, nos etiam nunquam cum ipso pacificamur, nec ullam pacem vel otium ab ipso expectemus, quamdiu mortalem hanc vitam in his terris degimus. Ac proinde satius est, (sicuti Christus in hac concione nos docuit) ut in his terris amittamus parentes, conjugem, liberos, fratres, sorores, amicos, omnem nostram substantiam atque denique vitam ipsam, quam ut cum hoc hoste transigamus. Is enim pacis conditiones mille mortibus duriores nobis proponit: nimirum vult, ut à Christo Salvatore nostro desiciamus. Hoc qui vel facit vel facere vult, ei, ut Christus inquit, satius foret, ut dum hostis *adhuc longè agit, mittat legationem, & pacem petat*, imò satius ipsi esset, nunquam ex satanæ regno exiisse. Talium enim damnatio, ut supra indicatum est, erit intolerabilior.

Hanc suam concionem Dominus concludit epiphonemate illo, quo solet res maximi momenti, & quæ singulari observatione dignæ sunt, auditoribus suis commendare, eosque non tantum ad attentionem, sed etiam ut memori mente dicta servent, excitare solet. *Qui habet aures ad audiendum, audiat*. Et si autem Christus *aurium* tantum mentionem facit, cum omnes totius animæ vires sint intendendæ, ut homo Christianus in suo statu ad finem usque perseveret, atque sic æternam salutem reportet: tamen illas omnes intellectas vult.

Aures

Aures enim quasi ostium animæ sunt, per quas mens & intellectus percipiunt, quid ad ipsarum salutem vel interitum faciat. Quapropter vult Christus, ut cui datae sunt aures, quibus possit & attendere, quid ipsi dicatur, & illud intellectui

renunciare ad expendendum & intelligendum, ut is audiat, hoc est attendat, attendendo expendat, expendendo intelligat, & intelligendo in usum transferat.

CAPUT CXXI.

CONTINENS PARABOLAS DE OVE, DRACHMA, ET FILIO PERDITIS,

LUC. 15. vers. 1.

RATIO ORDINIS.



oc decimum quintum caput Luca, quod eodem ordine tractabimus, quo invenimus, quasi gemma lucidissima eminet inter conciones postremæ profectiois Christi: Tra-

ctat enim doctrinam de pœnitentia, & Articulum Justificationis tribus parabolis pulcherrimis; quarum primam etiam Matth. 18.v.12. notarat. Nos eas brevi expositione percurramus.

PARABOLÆ DE OVE AMISSA, PERDITA DRACHMA, ET FILIO ACOLASTO.

LUC. 15.

1. Ἦσαν ἡ ἐγγύζοντες αὐτῷ πάντες οἱ τελῶναι καὶ οἱ ἀμαρτωλοὶ ἀκούειν αὐτόν.
2. Καὶ διεγόγγυζον οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς λέγοντες, ὅτι ἐστὶν ἀμαρτωλὸς παρῶσδε χεῖρα, καὶ συνομιλεῖ αὐτῷ.
3. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτοὺς πάλιν ὁ Ἰησοῦς λέγων·
4. Τίς ἀνθρώπων ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα, καὶ ἀπολέσας ἐν ἑξῆς αὐτῶν ἓ καταλάβῃ τὸ ἐκνηνηκόν· ἢ ἐνέα ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ πρὸςεύεται ἵνα τὸ ἀπολωλὸς, εὖς εὕρη αὐτό;
5. Καὶ εὐρῶν ἵνα τῆσιν ὅτι τὰς ὄμους αὐτῶν χαίρων·
6. Καὶ ἐλθὼν εἰς οἶκον, συναλεῖ τὰς φίλας καὶ τὰς γείτονας, λέγων αὐτοῖς· Συγαίχρετέ μοι, ὅτι εὐρον τὸ ἀπολωλὸν μου τὸ ἀπολωλὸς.
7. Λέγω ὑμῖν, ὅτι ἔτω χαρὰ ἕσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἵνα ἐνὶ ἀμαρτωλῷ μετανοήσῃ, ἢ ἵνα ἐκνηνηκὸν ἑνέα δικαιοῦς, οἱ τίνας ἔχουσιν ἕνα μετανοήσας.
8. Ἡ τις γυνὴ δραχμὰς ἔχουσα δέκα, εἴαν ἀπολέσῃ δραχμὴν μίαν, ἢ ἢ ἀπὸ λυχνίου, καὶ σαροῖ πάλιν οἰκίαν, καὶ ζητᾷ ἐπιμελῶς, εὖς ὅτι εὕρη;
9. Καὶ εὕρησα συναλεῖται τὰς φίλας καὶ τὰς γείτονας, λέγουσα· Συγαίχρετέ μοι, ὅτι εὐρον τὴν ἀπολωλὴν μου, ἢ ἀπώλεσα.
10. Οὕτω λέγω ὑμῖν, χαρὰ γίνεται ἐνώπιον τοῦ ἀγγέλων τοῦ θεοῦ ἵνα ἐνὶ ἀμαρτωλῷ μετανοήσῃ.
11. Εἶπε δὲ· ἀνθρώπος τις εἶχε δύο υἱούς.
12. Καὶ εἶπεν ὁ νεώτερος αὐτῶν τῷ πατρὶ· Πάτερ, δός μοι τὸ ἰσὺς ἀλλοῦ μέρους τῆς ἐσίας. καὶ διέδωκεν αὐτοῖς τὸν βίον.
13. Καὶ μετ' ἑπιπλάς ἡμέρας συναγωγῶν ἅπαντα ὁ νεώτερος υἱός, ἀπεδήμησεν εἰς χώραν μακρὰν, Harm. Tom. I.

1. Accedebant autem ad eum omnes publicani & peccatores, ut audirent illum.
2. Et murmurabant Pharisei ac scribae, dicentes: Hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis.
3. Dicebat autem ad illos parabolam hanc, dicens:
4. Quis ex vobis homo qui habet centum oves, & si perdidit unam ex illis, nonne relinquit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam qua perierit, donec inveniat eam?
5. Et cum invenerit eam imponit in humeros suos gaudens:
6. Veniensque domum, convocat amicos & vicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inveni ovem meam, qua perierat.
7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore resipiscente magis, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent pœnitentia,
8. Aut que mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, non accendit lucernam, & verrit domum, queritque diligenter donec inveniat?
9. Et cum invenerit, convocat amicos & vicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inveni drachmam, quam perdideram.
10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore resipiscente.
11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios.
12. Et dixit adolescentior illorum patri, Pater da mihi portionem substantiæ, qua ad me redit. Et divisit illis substantiam.
13. Ac post dies non multos, cum omnia contraxisset adolescentior filius, peregre profectus est in re-